Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Theses juridicae inaugurales

https://hdl.handle.net/1874/313778

THESES JURIDICAE INAUGURALES.

23.

# THESES JURIDICAE INAUGURALES,

QUAS

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS NICOLAUS LANTSHEER.

**Medioburgo-Zelandus.**

A. D. XXI. M. DECEMBRIS ANNI MDCCCLIV, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD J. G. BROESE.

MDCCCLIV.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GIEBEN & DUMONT.

# THESES.

I.

Donatio inter vivos omnium bonorum, quae quis tempore mortis habiturus est, non valet.

II.

Contra NEUSTETEL defendo, contractus bonae fidei, propter dolum causam dantem, ipso jure non valere.

III.

Duo Jurisconsulti POMPONII fuisse videntur.

IV.

L. 9, § 3, D. *de donationibus* non dicit in jure Justinianeo, donatione alteri dominium auferri non posse, uti opinari videtur Cl. DE SAVIGNY, *Vermischte Schriften*, I, 358 sqq.

V.

Usucapione fundi, ususfructus non exstinguitur.

VI.

Laudandus est legislator noster, quod non recepit Art. 1325 C. N.

VII.

Verba Art. 1806 C. C. i. f.: *»en de schuldenaar wordt daarvan bevrijd,"* indicant praesumtionem quae dicitur *juris et de jure.*

VIII.

Privilegio, Art. 1185 2°. C. C. concesso, neque horreorum, neque rerum incorporalium locator frui potest.

IX.

Consignatio minus recte modis, quibus obligatio tollitur, adnumerari videtur, licet sententia judicis sit confirmata.

X.

Art. 647 C. C. non prodest creditori hypothecario, neque illi cujus praedio servitus debebatur in fundo nunc flumine occupato.

XI.

Contra DE PINTO, *Handl. tot het Wetb. van Kooph.* II, § 380, defendo, literas recognitionis valere, licet desit oneratoris vel expeditoris subscriptio, in Art. 507 8°. C. M. indicata.

XII.

In contractu oneris transferendi, deficiente charta partita, probatio per testes non admittitur, licet adsit initium probationis per scripturam.

XIII.

Probanda mihi videtur sententia Judicis Cantonalis Arnhemiensis 9 Julii 1850, in *Bijblad* 1852, pag. 608 seqq. relata, emtionem avenae ab exercitore rhedarum (diligencehouder) contractam, esse negotium mercatorium.

XIV.

In Art. 216 C. M. insinuatio per apparitorem non requiritur, licet sit admissa.

XV.

Contra Cl. DES AMORIE VAN DER HOEVEN (*Jaarboeken* 1849, pag. 715) defendo, legislatorem, pretio non soluto, mercium vindicationem, tamquam in rem actionem, creditori dedisse.

## XVI.

Nautis merces non debetur ex naulo jam acquisito, si navis, itinere nondum peracto, ita interiit ut nihil sit servatum.

## XVII.

Poenae quaedam intermediae lege constituendae mihi videntur, quae gratiae modo irrogari possint.

## XVIII.

Adsentior ROSSI arguenti: (*Traité du droit Pénal*; L. II Ch. 20) »*L'homme qui s'est enivré, peut être coupable d'une grande imprudence; mais il est impossible de lui dire avec justice: Ce fait spécial, ce crime, tu l'as compris au moment de le commettre.*"

## XIX.

In Lege novissima 29 Junii 1854 (*Wet, houdende eenige veranderingen in de straffen op misdrijven gesteld*) Art. 11, poenae aggravatio delicti repetiti caussa, merito judicis arbitrio relicta est.

## XX.

Probandus est legislator, qui in eadem lege, Art. 14, 7° graviorem poenam statuerit in cauponem quam in viatorem, in caupona furtum admittentes.

XXI.

Recte Lege Fundamentali, regi jus tributum est coetum delegatorum dissolvendi.

XXII.

Improbanda mihi videtur Lex 1 Martii 1815, quae, die Dominico, fabulas agere vetat.

XXIII.

De mercatorum societatibus quibus, exclusis civibus omnibus, commercium Indicum conceditur, verissime ADAM SMITH: »*Such exclusive companies are nuisances in every respect, always more or less inconvenient to the countries in which they are established, and destructive to those, which have the misfortune to fall under their government.*

XXIV.

Rei venaticae, etiam ratione habita industriae, prospiciendum est.

1906003